



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Ignativs Loyola C. 31. Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

lius, qui ingens fœnus (quod trecentorum aureorum futurum erat) imminuisset. Obiit anno CCCC. XXXV. patriæ suæ unicum præsidium. Nam dum vixit, contra imminentes urbi hostes ipse exercitum duxit, signa ipse tulit, utque animos civibus faceret, sæpè sæpius cum suis *Alleluia* insonuit, itaque ferè unus rectè Epinicum ante victoriam cecinit. *Ex Suario.*

*Diem ex die ne differas; sed quàm celerrimè ad Dominum te converte, antequam severissimi Iudicis sententia pronuncietur, qua te vocet ad reddendam rationem talentorum, qua tibi dedit; & vinctis manibus & pedibus in tenebras exteriores extrudaris.* S. Ephrem de Pœnit. & Conf.

## S. IGNATIVS LOYOLA C. 31. Julij.

IGNATIVS è nobili milite Societatis IESU Dux animi sanitatem pedum debet vulnere; hujus curationem D. Petro, vitæ immutationem piorum librorum lectioni, castitatis verò donum Virgini MAGNÆ, quæ cum Filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad hujus aram cum opima spolia (arma sibi detracta) suspendisset, inter miros pœnitentiæ rigores, MARIA dictante, libellum illum Asceticum scripsit, quem ne libro satis laudes. Cum horas VIRGINIS percurreret, ad arcanum S. Triadis aspectum admittus est. Eiusdem Sabbatho extra se raptus, non nisi altero Sabbatho ad corpus rediit, animarum lucro inhians, vir annorum XXXIII. literas discere est aggressus; mox socios scribere, parvas copias, sed ingens orbi laboranti præsidium, & cui IESVS ipse propitium Romæ se fore appromisit. Unicum ei symbolum fuit, *Major DEI Gloria;* perquam familiaris illa cum lacrymis vox  
Hæc



*Heu quàm sordet terra, cum calum aspicio!* Hoc obtinuit anno M. D. LVI. vir divinis ostentis, vaticiniis, miraculis clarus & natus Ecclesie bono. Nam sanctior juventutis educatio, reducta ab exilio Musæ, proscriptæ hæreses, assertus DD. & templorum cultus, frequens iterum Sacramentorum usus, demum uterque orbis, ille CHRISTO subactus, hic servatus, & quidquid in utroq; filii vel faciant fortiter vel pariuntur, id omne IGNATIUM est opus. De Sodalitatibus VIRGINIS quid dicam? quisquis ex his MARIAM Matrem clamas, rectè IGNATIUM patrem dices. *Ex vitâ.*

*O ingratiſſimum! ô duri cordis hominem! qui nō dum intelligit, se ad labores perpetiendos, atque ad gloriam Domini Nostri Iesu Christi summo conatu quarendam & amplificandam longè maximè obligatum!* Ex Epist. S. P. Ignatii de perfect. Religios.

S. IOANNES COLVMBINVS C.  
31. Iulij.

**O** Si Lector iis oculis vitam IOANNIS legeres, quibus ille Divorum legit! Et leges puto, iisdem, si leges. Succensuit hic uxori cœnam feribis apparanti. Illa, ut matrona erat præ aliis pia, jubet, dum famem rectius opsonet, oculos pascere legendis Divorum factis. Non erat hoc pro stomacho IOANNIS: abjicit librum. Mox tamen curiositate ductus tollit, legitque in quam primò oculis offendit Mariæ Ægyptiacæ vitam. Hic verò alij jam fame stimulari animus, & nauseare omnia terrena, jam templa & preces amare, benè egenis facere, asseri incubare, castitatem cum conjugio colere, ædes in publicum peregrinorum stabulum vertere, denique ille nuper in pietate discipulus vel